

OSVALDVS MY

CONIVS LVCERNANVS IODOCO

FONTANO SVO S.

Dignum facis mi Fontane, dū petis exemplar eius orationis, ut denuo imprimatur, quæ Romæ habita est anno superiori a Reuerendis. patre Ioanne Fabro Augustano in exequis Gaspari de Silinon equitis aurati, & Heluetiorū Ducis, qui sunt a custodia secretorie Leonis, X. summi pōtificis, cōtinet em Heluetiorū (quibus nos ambo debemus quicquid in nobis existit) laudē huiusmodi, qualem etiānum latine exaratam nō uidisti. Laudatur in primis a Prudentia, Fortitudine, & Iusticia, Vtq; eleganter, ita uere. Id quod palam erit perspicienti res Heluetiorum cum uirtute gestas ab usq; CL. annis in hodiernum tempus. Vbi quidem inter tot, tanq; graues pugnas non licet inuenire (quod precipue extollendum puto) hoste ab Heluetijs unq; ad bellū eē prouocatū. Ex quo liquet ipsos non potuisse nō iustissime belligerari, cogeant nanque se, suosq; & patriam defendere. Deinde autem cernere est quā parua manu saepe fuderint tā ingētes copias, nam nemo quisq; uel uidit, uel audiuit, nisi quod aduersariorū exercitus fuerint semp Heluetiorū tum instructiores, tū certe duplo copiosiores. Illud compertū, non semel accidisse, ubi singulis Heluetiorum esset conflictandū cū denis, utriusq; exercitus numero bene conlato, hostibus, & tū Heluetiū reportasse uictoriā. In hisce rebus q̄tā necesse fuerit adesse fortitudinē, fidem, concordiam, atque prudentiam, neminem præterire arbitror. Quod si Faber ille qua est & doctrīna, & eloquentia huius gentis adhibuisset probitatem, simplicitatem Christianissimam uirtutem, hospitalitatem ipsi peculiarem, temperatiā item, misericordiam in uictos, & huiusmodi sexcenta, quid putas ei deberent Hel

uetij: quāquā hoc pacto debeāt plurimū. **R**es uidetur non
parum habere ponderis, quod Sueuus **H**eluetium tam cu-
mulate commēdat. Inter quos tot iurgia, tot inimicitiae, tot
bella grauissima a multis iā annis ita misere sunt transacta.
In sinu gaudere soleo **F**ontane, quotiescūq; in mentē uenit
eam cōmendationem. Suuum, non **H**eluetium deprom-
sisse. Ita nanq; fit, ne statim quisq; ex eo genere hominum,
uel quocumq; alio, temere profiliat clamitans, indignū fa-
cinus, **H**eluetium suos in cælum extulisse præter meritum
& adtribuisse, quæ ita procul dissideant a uero, quantum
χαρις τὰ μερῶν ἑσθλῶν ρεύματα. **E**x hac oratione uidetur
elucere, quantum ueritas apud bonos, & uere doctos etiā
tum habeat splendoris & uirium. Quæ quidem non pro-
pterea supprimenda (quod plerūq; fit) quia tibi est aduersa
uerum sic cogitandum, rem aliam, atq; est, fieri haud quāquā
posse. Detractum est hucusq; & plusquā illud **H**elueti-
is, sed quid ob eam rem de laude & gloria ipsorum diminu-
tum? Nihil enim refert uituperare aliquem, cuius uirtus est
nota uel lippis (ut dici solet) atq; tonforibus, nisi forte hoc,
ut pro inuido habearis. **A**t qui talibus nugis hactenus dele-
ctati sunt, nimirum huc respexerūt, **H**eluetiam neminem
habere resistantem, sed me **H**ercule q̄ longissime aberrau-
erunt, nam tunc bona ingenia apud nos erāt sub incude, ho-
die expoliuntur, propediem emergent in lucem. **T**um ue-
ro si tales blaterones pergant, uti cœperunt, nihil dubiū est
quin eo redigantur, ut nullus deorum, excepto **H**arpocra-
te, ipsis opem conferre queat. Sed quo feror? nolebam em̄
hac effutire. **T**u accipe quod petisti. **V**ale ex **T**iguro **C**al-
Augusti, Anno **M. D. XVIII.**